

INSTITUTIONES  
JURIS CANONICI

IN TRES PARTES,  
AC SEX TOMOS DISTRIBUTÆ,

QUIBUS

Vetus & nova Ecclesiæ disciplina & mutationum  
causæ enarrantur

A DOMINICO CAVALLARIO  
JURIS CANONICI ET CIVILIS  
PROFESSORE CONSCRIPTÆ.

TOMUS PRIMUS.



SUPERIORUM PERMISSU.

MATRITI  
EX TYPOGRAPHIA REGIA.  
MDCCXCHII.

---

Se hallará en la Librería de Don Felipe Alverá, Carrera de San Gerónimo, frente á la calle del Baño.

# P R A E F A T I O.

*Ad cupidam sacrorum Canonum juventutem.*

## A U C T O R.

§. I. In tanta librorum copia, qua sacri Canones, non secus ac aliquæ facultates, a multis sæculis obtruntur, novæ tandem *juris canonici institutiones* evulgantur, quibus res canonica stilo fusori, variis passim observationibus & nonnullis insertis quæstionibus, enarratur. Ita opus vel ipsa inscriptione damnari videtur. Scilicet institutionum hæ sunt leges, ut elementa artium & propriarum vocum explicationes contineant, & prima quasi lineamenta in studiosorum animis insculpant, quibus ad prolixiores & difficiliores libros præparentur. Et quidem meliores ecclesiastici scriptores & ante & post renatas literas ex harum legum forma institutiones ediderunt, veluti Antonius Cucchus: Paulus Lancellottus, Franciscus de Roye & Claudius Fleuryus, quamvis non omnes pari methodo, ac felicitate, nec eodem rerum delectu. Etenim Cucchus & Lancellottus vix ultra Decretales excurrunt, nec rebus criticis eorum ætate admodum excultis, multa ex turbidis fontibus hauserunt. Sed opus Fleuryanum perfectissimum est, veterem & novam in præcipuis articulis exhibens Ecclesiæ disciplinam: nec pretio carent suo Francisci de Roye institutiones, quamvis aliquando laborent confusione.

§. II. Positas a sapientibus institutionum leges fortasse infregi, sed ita finis, qui ad opus elucubrandum impulit, postulare videbatur. Nempe non nuda sacrorum Canonum præcepta tradere institui, sed suis

# INSTITUTIONES JURIS CANONICI.

## PROLEGOMENA.

### CAPUT I.

#### *De natura & origine juris canonici.*

*Christus Ecclesiam fundat.*

**P**§. I. Postquam genus humanum, propter primi hominis labem a spe beatitudinis dejectum, peccati laqueis obstrictum diu jacuisser, temporis impleta plenitudine, toties promissus patribus in Prophetis, ad perditos homines in jus beatitudinis revocandos, Christus Jesus e sinu Patris advenit. Qui ut tantæ rei satisficeret, nostram induitus humanitatem, Ecclesiam sibi collegit & fundavit, quam exemplo & prædicatione sui instructam stare voluit æternum. Quod ita profecto fieri oportebat, ut redemptionis beneficium omnes complecteretur. Huic autem a se fundatæ Ecclesiæ non solum Christus ipse vivens leges dedit, verum etiam per Apostolos, quibus ad opus perficiendum immisit post mortem suam Spiritum sanctum, quo interno numine Apostoli erecti & afflati Ecclesiam per universum mundum dilatarunt.

*Ecclesia proprium regimen habet.*

§. II. Quum vero Ecclesia ex multitudine credentium constet, & societatis natura talis sit, ut necessario certum regimen requirat, quo stet & conservetur: Jesus Christus discessurus ex hoc mundo ad Patrem, promissum de Ecclesiæ æternum duratura veluti adimplens, perpetuum in ea regimen constituit, cui ejus regendæ potestatem, & eorum omnium, quæ ad ejus conservationem spectare viderentur, pleno jure concessit. Qua super re non est ambigendum, quum conceptissima sint sacrarum scripturarum testimonia, quibus Apostolis eorumque successoribus regimen Ecclesiæ demandatur (<sup>a</sup>).

*Objectum potestatis ecclesiastice.*

§. III. Hæc autem potestas Ecclesiæ regendæ Apostolis & eorum successoribus per Christum concredita, circa tria versatur, *Doctrinam,*

*Mor-*

(a) Jo. XX. 21. Act. XX. 28.

*Tom. I.*